



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

23. Septembris. Dei imaginis, quam pretioso sanguine unigeniti Filii sui redemit, utilitate, emolumentóque gaudere communi omnes obligatore tenemur. S. Ignat. Epist. ad Hispan.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

23. Septembris.

Dei imaginis, quam pretioso sanguine unigeniti Filii sui redemit, utilitate, emolumentoque gaudere communi omnes obligatione tenemur. S. Ignat. Epist. ad Hispan.

M Alè affecti oculi indicium est: proximi splendore, & alienâ luce perstringi; Noctuæ syderis lucem non ferunt, quâ gaudent aquilæ. Qui boni sunt, aliorum bonis gratulantur.

Quid tibi decedit boni, dum alteri aliquid accedit. Infinita est Dei liberalitas, inexhaustus thesaurus, dum alteri largitur etiam liberaliter, non minùs tibi dare poterit, si mereri scias.

Frater tuus est, qui abundat; ejusdem corporis membrum est, cui res ad votum fluunt. Nulli boni quidquam accedit, quin etiam in te redundet: ut particeps sis boni, sis etiam solatii.

Dominus est, qui dona largitur, quæ pro arbitrii sui, non placiti nostri nutu distribuit: nobis, qui servi inutiles sumus, obsequii solius gloria, & necessitas est relicta. Quid prætendis? & quo jure?